

DISPUTATIO PHYSICA.

349.

De  
GENERATIONE.

Quam  
DEO DUCE,

IN ILLUSTRIS ACADEMIA WITTEBERGENSI  
PRÆSIDE  
EXCELLENTISSIMO PRÆCLARISSIMOq; VIRO.

DN. JOHANNES Sperlingen/  
PHYSICÆ PROFESSORE PUBLICO

CELEBERRIMO,

Amplis. Ordinis Philosophici

h. t. Decano Spectabili,

Dn. Præceptore, Promotore ac Patrono suo ut optimè  
merito, ita & devoto observantiæ cultu æ-  
viternum devenerando,

*Publicè ventilandam exhibet*

PAULUS WEIERUS

Reg. Prussus,

*Ad d. VIII. Martij horis Matut.*

*In Atrio Majori.*

---

WITTEBERGÆ,

Ex officinâ Typograph. MICHAELIS Wende.

ANNO M DC XLIX.

Physiol.

66,56.

*Physiol. XIII. 13.*

DISPUTATION

GENEALOGIE

DE GENEALOGIA  
SIVE DE RE  
GENEALOGICA  
P. I. DE RE  
GENEALOGICA  
P. II. DE RE  
GENEALOGICA

DE RE  
GENEALOGICA  
P. III. DE RE  
GENEALOGICA  
P. IV. DE RE  
GENEALOGICA  
P. V. DE RE  
GENEALOGICA

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden

121

De  
GENERATIONE.

## THESIS I.

**Q**uatuor rerum ordines universum hoc complectitur. Primus inanimatorum est, in quibus nec vita, nec sensus, nec ratio. Deinde viventia surgunt: herbæ & arbores, aliæq; interno officiosa vigore. Tertius ordo naturarum sentientium est: avium, piscium, gressilium & reptilium. Ordo quartus intelligentibus tributus: hunc humana occupat majestas.

II. In omnibus ordinibus generationes deprehendimus. Herbas & arbores, bruta ac homines, generari videmus. Metallorum etiam generatione productorum exempla habemus plurima. Venæ exhaustæ implentur denuò, & arborum trunci quandoq; auri ramentis insignes inveniuntur. Sed an omnibus corporum speciebus, cujuscunq; conditionis ac sortis fuerint, generatio competat, non caret dubitatione.

III. Cœlum ingenerabile statuit Aristoteles, quæ sequuntur Interpretes. *Rationabile, inquit, est, existimare de ipso, & quòd ingenerabile, & incorruptibile, & inaugmentabile, & inalterabile sit.* Idem de stellis existimant communiter, quas partes cœli pronunciant. Non repugnamus, sed generationem & cœlo & stellis negamus. Creatum cœlum est, non generatum: creatæ etiam stellæ sunt, jucundissima cœli lumina. Neq; Sol Solem generat, neq; Luna Lunam, nec alia stella aliam sibi similem. Novas verò & à seipsis distinctas species, minimè omnium generare possunt. Nulla in naturâ vis, ad novam speciem producendam. Individuorum generatio naturæ opus est: at novarum specierum productio naturæ Rectoris. Generatio ob specierum creatarum conservationem: non ob novarum productionem concessa. Rectè Scaliger ait,

*I. de Cœl.  
c. 3. l. 20.*

75). *Lib. 1. de* nihil novi generari, quod sit species: sed in specie, quæ jam est,  
*Caus. Plant.* individuum.

r. 5.

IV. Elementorum generatio, quàm certa Aristoteli, quàm credita ab Interpretibus, tam dubia nobis, & nec experienciâ, nec rationibus probata. Quandiu nempe id quod esse videtur, ab eo quod est, discernimus. Videntur generari elementa, reipsâ non generantur. Surgunt è terris & aquis vapores, è quibus generari videtur aqua. At extitit antè aqua in vaporibus. Apparens ergò generatio est, non vera. E ligno, è picce, cerâ, alijsq; videtur generari ignis: at videtur. Erat is ipse ignis antè in mistis illis, sed ligatus, alijsq; corporibus immersus. Externo ergò igne admoto, egreditur iste, suiq; fit juris, qui antè sub alterius erat dominio. Quis terræ generationem probabit, quis aëris? Si scilicet autoritas humana tollatur, & natura sola consulatur.

V. Manent Mistra, eaq; & Animata & Inanimata. Hic natura ipsa loquitur, & adeò informat nos, ut reclamare temerarij sit. Generant & generantur, homines, bruta, planta, & mineralia. Accedunt etiam Creatoris jussa: *Crescite & multiplicamini.*

*Gen. 1. v. 11.* Et extat de plantis: *Dixit Deus, Germinet terra germen, herbam producentem semen, arborem fructiferam, facientem fructum juxta speciem suam, cui insit semen suum super terram, & ita fuit. Produxit enim terra germen, herbam producentem semen juxta speciem suam, & arborem facientem fructum, cui inerat semen suum juxta speciem suam.* De mineralibus illud notandum: Ubi idem effectus; ibi eadem causæ, sive verbo, sive re, sive utroq; DEUS fecerit benedictionem.

VI. In quo verò consistat generationis ratio, controversum est. Alij per motum eam definiunt; alij à motu eam excipiunt. Notandum, aut de formæ, aut de compositi productione, generationem accipi. Formæ productio successiva non est: motus autem ratio in successione sita. Non est igitur formæ generatio motus. Hoc sensu rectè Scaliger: *Illam non est subtilis hominis oratio. Dum res generatur. Neq; enim generatio est in tempore: si generatio est formæ introductio. Si formæ est indivisibilis. Item. Verus philosophus hujus verbi præsens tempus omninò segregat à scholasticâ. Alibi docuitur, generationem non esse motum. Quod in recentioribus*

tioribus

tiorum *Physicis Compendiis*, magno *juventutis detrimento*, parum cau-  
tè scriptum legimus.

352.

VII. Materiam si involvis, totumq; compositum intelligis, motus concurrit, & ante, & in, & post formæ productionem. Hæc enim cum partes habeat, & disponendæ, & mutandæ, & perficiendæ veniunt. Quod absq; motu, & absq; tempore, fieri nequit. Divisibilis ergò tunc est terminus ad quem neq; in instanti producitur. Non in momento generantur homines, bruta, plantæ, mineralia. Latitudinem admittit generationis opus quo ad tempus, eamq; diversam pro diversis speciebus.

VIII. Addunt, generationem esse motum à non esse ad esse. Explicant hoc, partim ratione formæ, partim ratione compositi. Forma fit ex non-forma, seu ex privatione: anima canis ex privatione, seu potentiâ feminis. Compositum etiam fit, è non composito: homo ex non homine, equus ex non equo. In generatione enim eadem substantia non manet, sed una mutatur, altera producitur. Verba audimus, nihil quod peccatus exaturet. Unde homo? Ex non homine. Unde arbor? Ex non arbore. Nemo hinc sapientior, nemo doctior fiet. Habesné nunc causas arboris aut hominis? Nulla hæc scientia est, nosse arborem ex non arbore venisse, bellum ex non bello, & pacem ex non pace. Neq; enim arboris Efficientem causam, nec Formam, nec Materiam, nec Finem, indicasti.

IX. Ajunt, illud non-esse esse ens privativum. Ens privativum explicant, per absentiam formæ in materiâ cum potentiâ ad eam. Generatio igitur est motus à privatione ad formam. Aut, est motus potentiæ materiæ ad formam. Verba dant, nihil rei subest. Non est talis potentia in materiâ, qualem afferunt. Quæritur potentia, è quâ formæ eliciantur. Talis non est in materiâ, sive substantiam examines, sive accidentia. Essentia materiæ formæ essentiæ prorsus contradistincta est. Essentia materiæ essentiâ formæ ignobilior est. Essentia materiæ manere, non in formam mutari debet. Accidentia materiæ in formam suam substantialem converti nequeunt. Materia nil nisi subjectum in quo, nullâ ratione subjectum ex quo formæ est. Estné aliquid in canis semine, è quo anima canina fiat? Affer substantiam, aut accidentia, &

A 3

finge

353. finge impossibilia naturæ. Formas antea fuisse potentiâ, quæ nunc actu sunt, per se manifestum. At illa potentia modus ipsarum formarum est, non modus, non qualitas, non substantia materiæ. Frustrâ ergo ad illam privationem, ad illam materiæ potentiam recurritur.

*Inst. Phys.*  
*Lib. 6. c. 2.*

X. Rectius Generatio describitur, actio corporis naturalis misti, quâ sibi simile producit, ut perpetua specierum conservatio constet. *Actio*, quia potentia generatrix activa est, juxta hanc ergo potissimum explicanda generatio. *Misti*, quia sola hæc potentiam generandi accepere, quâ ab interitu totali se vindicant. *Quâ sibi simile producit*. Hæc enim generationis norma est, juxta quam examinanda. Propria generationis ratio, in communicatione essentiæ similis consistit. Is ipse generat, qui suam essentiam multiplicat: homo humanam, canis caninam, equus equinam. *Ut perpetua specierum conservatio constet*. Ob hanc enim generationis opus institutum. Et ita quidem, ut tantum corporibus corruptibilibus concessum sit. In corruptibilia jam antea fatali illâ labe exempta sunt. Corruptibilia ad interitum vergunt naturâ: igitur generationis ope à clade totali vindicantur.

XI. Atq; hinc generationis patent causæ. Efficiens, est generans. Mistum nempe, quod sese multiplicat, quod hoc modo medioq; ab interitu se liberat. Faciunt quidem communiter Efficiens duplex: Universale & Particulare. Sol & homo generant hominem. Neq; tollenda prorsus hæc distinctio: sed tamen habenda ratio causæ particularis & proximæ præ universali & remotâ. Effectus specificationem (ut loquuntur) à particulari, non ab universali habet causâ. Idq; non de homine tantum, sed æquè de ranâ, de mure, & alijs asserendum. Etiam hæc species non à remotâ, non ab universali, sed à particulari & proximâ causâ oriuntur. Non potest cælum dare muribus, ranis, & alijs, essentias suas. Etiam mus laborat pro conservatione speciei suæ, etiam anguilla, etiam pediculus. Genitores si non semper prostant, ob nostram ignorantiam non defendendæ sententiæ falsæ.

XII. Materia generationis semen est, aut quasi semen. Proxima scilicet. De remotâ, quæ quatuor elementa sunt, non adeo labo.

laborandum. Semen describit Celeberrimus Sennertus his verbis: 354.  
*Semen, ut omnibus viventibus competit, est corpus à generante forma-* Hypomn. 4.  
*tum, calido innato plenum, ad animæ cujusvis speciei propagationem u-* c. 6.  
*tile; seu, est corpus à generato productum, è quo vivens ejusdem speciei*  
*cum illo, à quo decisum est, provenit. Quasi semen mineralibus cum-*  
*primis tribuitur, de quibus idem Sennertus: Semen metallis & mi-* de Conf. ac  
*neralibus, si non univocum, certè analogum, nonnulli tribuendum censent.* Dis. c. 9.  
*Hoc certum esse puto, formas istas, seu seminarias rationes, ut aliarum*  
*etiam rerum, à DEO primum creatas esse, ut rerum sui generis sint*  
*principia. Et licet formæ istæ ac seminaria principia in animalibus &*  
*plantis pleriq; per certa corpora, quæ semina dicuntur, propagentur, &*  
*peculiari corpore spiritus ille architectonicus concludatur, in metallis ta-*  
*men per totum corpus dispergitur.*

XIII. Distinguendam autem inter generationem formæ & compositi: seu, inter generationis terminum proximum & ultimum, inter generationem Inchoatam & Consummatâ, aut inter generationem Primam & secundam. Forma ratione sui nullâ opus habet materiâ, ex quâ fiat. Compositum sine materiâ facere, est panem facere sine farinâ. Hinc diversissimi Canones de generatione reperiuntur passim. De formæ quidem: Generatio est mutatio ad formam. Generatio est formæ productio. Generatio est formæ introductio. Generatio fit in instanti. In generatione nova forma producitur. Generatio non fit in tempore. De compositi: Generatio ex aliquo est, creatio ex nihilo. In generatione subjectum requiritur. Ex nihilo nihil fit. Generatio est transmutatio. Unius generatio est alterius corruptio. In generatione totum subjectum mutatur, non manente eodem sensu. Habent Canones hi veritatem suam, si applicentur rectè: alij quidem ad proximum, alij ad ultimum generationis terminum.

XIV. Forma generationis est communicatio essentiæ similis. Per hanc generans à non generante distinguitur. Essentiam suam genito communicare effectivè, generantis proprium est. Sic homo hominem generat, brutum brutum, planta plantam, metallum metallum. Sed primum in intentione, ultimum est in executione. Hæc prima generantis intentio, sibi simile & quoad formam, & quoad materiam, producere. Materia verò cum disponēda, cla-

da, cla-

351. da, elaboranda, & perficienda veniat, non repente illa similitudo perfecta obtinetur. Non fit saltus, sed gradatim ab imperfecto ad perfectum processus. Producitur primum homo imperfectus, post perfectus. Datur primò γωνή, secundò νόημα, tertio εὐβουεῖα, quartò παρδίον.

Ex. 250. f. 1. XV. Finis est, specierum conservatio. Ad mundi perfectionem specierum perpetuatio pertinet. *Si deesset aliquid*, ait Scaliger, *daretur in formis vacuum. Quod longè majus in naturâ esset flagitium, quàm vacuum in quantitate sine corpore.* Cum verò caduca sint mista atq; animata, cum diffluant ac dilabantur velut aqua, per novorum individuorum successiones conservari debent. Ut ita perennis ista singularium successio æternitatem faciat: ut ista perpetuitas quæ non poterat dari in uno individuo, in pluribus saltem aut cunctis exhibeatur. Ut canis in cane vivat, gallus in gallo, lupo in lupo.

Disp. 1. f. 2. tb 46. sq. XVI. Hæc admirandi operis explicatio. Nunc vera à falsis, & falsa à fallacibus, distinguenda. Fallax hominum genus est, plurimiq; falsa veri specie, vera falsi larvâ, nova vetustate, vetusta novitate, oblinere satagunt. Et omnis mali caput est, quod omnia ad ostentationem, nihil ad ædificationem, agant. Transibimus ad Adversarium, qui exscriptarum sententiarum præcipatione se jactat, qui ex alienis picturis eradit colores. Ita nempe generationis naturam explicat, aut implicat. Potentia alia est Objectiva, alia Activa, alia Passiva. Unumquodq; producitur ad modum suæ producibilitatis, sicut unumquodq; agit ad modum suæ activitatis & producit ad modum suæ productivitatis. Et ut se res habet in esse, ita & in fieri & produci, sequiturque modus fiendi modum essendi. Nullum igitur est dubium, quin in naturali generatione alium producibilitatis modum habeant formæ materiales, nimirum materialem, alium verò formæ immateriales, nimirum immaterialem. Producentur formæ à suis producentibus ut in se sunt producibiles, & sicut Autor Naturæ instituit. Instituit autem modo naturis earum non repugnante illas vé everte. Nec tam ad agens & producens, quàm ad producibile respiciendum, conferendo naturam & indolem rei factibilis & virtutem seu potestatem agentis sive producentis, nimirum videndo  
an agens



an agens possit talem effectum assequi, & an agens in sua potestate habeat, rem hanc vel illam juxta suum producibilitatis modum producere. Hæc summa rerum.

356.

XVII. Ita simplici pictura, sine rationis fulcro, more suo Adversarius. Sed reponit refutata, & plus millies recoctam atq; ad nauseam usq; ingestam crambem offert. Silentio transibimus, quod malè novam speciem, Activæ & Passivæ contradistinctam, potentiam Objectivam constituat. Res eò redit, detractis larvis & verborum insolentijs. Formæ aliæ sunt Materiales, & aliæ Immateriales: hinc aliam atq; aliam habent originem. Illæ quidem Generationem; hæ Creationem. Neq; naturæ istarum alium modum permittunt. Est responsum ad omnia, in Dissertatione, in Exercitationibus, in ipsâ quoq; Antiparasceve. Superfedere ergò poterat hac ipsâ thesium suarum vafriculâ inverfuniculâ.

XVIII. Cogor repetere quædam, non absq; animi tædio, temporisq; jacturâ. Ita procedere debebat Adversarius: *Quicquid Deus jussit, hoc factum est. Sed jussit Deus, ut homo generaret hominem, non minus quam equus equum. Ergò hoc factum est. Major constat, quia verba Dei sunt opera, & ut loquebatur Thummius, benedictio Dei non fuit θεαυμαλιη, sed πειραυατιη. Minor in textu est. Item: Quicquid jussit DEUS, hoc ordinavit & instituit. Sed jussit Deus, ut homo generet hominem, non minus quam equus equum. Ergò etiam ordinavit & instituit Deus, ut homo generaret hominem, non minus quam equus equum. Adversarius pro lubitu suo rem invertit hoc modo. Quicquid natura & conditio rerum generandarum non admittit, id Deus etiam non instituit. Atqui ut homo non corpus modò, sed & animam in generatione producat, natura & conditio rei generande, non admittit. Ergò id Deus etiam non instituit. Pessima est Major illa, quæ prius vult naturã examinari, antequã Dei omnipotentis jussa admittantur. Potestas Dei jubentis major est, quam homunculi unius judicium, quam omnium hominum sapientia. Ipsa Dei vox naturam facit habilem, ut possit, quod creator jussit. Quod qui non statuit, quid aliud agit, quam ut cum Galeno clamet: Affirmamus quædam à naturã fieri non posse, eaq; Deum ne aggredi quidem. Christiani est, veri Philosophi est, jussa Dei pro operibus habere, si vel maximè etiam modum non*

Diff. de Tr.  
c. 12. p. 191.

B

capiat.

capiat. Non è captu nostro, sed è verbis Dei, de Dei judicandum voluntate & opere.

XIX. Porrò: *Falsissima Minor* (Ut homo non corpus modò, sed & animam in generatione producat, natura & conditio rei generandæ non admittit) est. *Monstretur repugnantia, cum Adversarij dictio nobis non sit probatio.* Philosophorum dicteria quæ addit, nisi falsitates sunt. *Dictorium est, ut se habet res in esse, ita & in produci.* Falsum est, & ignorantia crassa, non dictorium Philosophiæ. Ita aliàs Philosophi: Ut se res habet in esse, ita & in operari. Modus operandi sequitur modum essendi. Quod desinit ab operatione, desinit ab esse. Quale esse, tale operari. Quæ prorsus ad originem non applicanda, sed de essentiis & operationibus explicanda. Divinam essentiam divina sequuntur operationes, angelicam angelicæ, humanam humane, elementarem elementares. Quo ad originem, essentiæ diversissimæ sepè eandem habent originem, & non diversæ diversam. Eadem essentia Peripateticis est, in mure equivocè generato, & in mure univocè genito: at non eadem origo. Eadem essentia erat in Adamo & Caino: at non eadem origo. Eadem origo cæli & terræ: at non eadem essentia. Eadem origo Adversario omnium formarum materialium: at non eadem essentia. Applicet falsa sua dicteria, & formet argumenta. Ut se res habet in esse, ita & in produci. Mures equivocè & univocè generati eodem modo se habent in esse. E. mures equivocè & univocè generati eodem modo se habent in produci. *Hæc inè philosophia vestra aternum duratura?* Quæcumq; se non habent eodem modo in esse, illa etiam se non habent eodem modo in produci. Cælum & terra se non habent eodem modo in esse. Ergò cælum & terra se non habent eodem modo in produci. Hæc scilicet illa generalia axiomata sunt, ad rerum originem inquirendam formata.

XX. Porrò: Falsum & illud est absolutè sumtum: Unumquodq; producitur ad modum suæ producibilitatis. Jussum Dei per producibilitatem non impeditur, sed producibilitas jussum Dei sequitur. Sine judicio verò verba addit sequentia: Natura & essentia rei norma est, & cynosura eorum quæ in re sunt. Hæc quid ad originem? Est inè origo in re? Affectiones naturam sequuntur, sed non origo. Potest inè ex natura muris equivocè generati judicare de ejus origine? Tentet rem, & nascetur ridiculus mus. Alibi: Est inè origo in re, in essentia? Fiat argumentum: Quæcumq; in re sunt, eorum cynosura est essentia. Origò est in re. Ergò originis cynosura est essentia. *Egregia Minor.* Judica  
ex es-

ex essentiâ muris, an creatus sit, an generatus, an univocâ, an equivocâ generatione productus? Testatur effectus de causa suâ, testatur etiam de cause præstantia; at quomodo productus sit, effectus non indicat, cause inquirendæ sunt.

XXI. Item: *Ludit voculis immaterialis productionis. Quid est immaterialis productio? Respondet, independens à materiâ. At quid est productio independens à materiâ? Aut de materiâ ex quâ, aut de materiâ in quâ loquitur. Si de illâ, conceditur Syllogismus. Non produci- tur ex materiâ anima rationalis &c. De materiâ in quâ si res est, falsa sit Major. (Quæ formæ habent essentiâ immaterialem, eæ quoq; ha- bent immaterialem productionem.) Nihil detedit essentiâ immateriali, quantumvis sit in materiâ. Quod manifestum adeò, ut & animam no- stram in materiâ fieri, licet creetur, modò dixerit. Porro: Novimus formas materiales fieri in materiâ, sed queritur, unde fiant? Ex sub- strata materiâ, ut loquitur, eas effici, durissima vox est. Et nature, & officio materiæ repugnat, de formarum etiam dignitate derogat. Crea- tio & generationem evertit, & benedictionem inaniter factam in- fert.*

Antip. cap.

4. p. 89.

p. 90.

XXII. His & alijs responsum ad omnia, quæ oggerit nunc frustra. De muribus aliquid novi habet, reliqua dimittit benevo- lè. Non in thesibus, sed in Coronide, ita de muribus: *Ut se res habet in esse, ita in produci. Hoc nostrum ad inconueniens deducere la- borat, h. m. subsumendo: Atqui duo mures, quorum unus univocè al- ter equivocè generatur, habent se eodem modo in esse. Ergò duo mures, quorum unus univocè, alter equivocè generatur, eodem modo se habent in produci. Ast nullum inconueniens, modò conclusio rectè intelligatur. Ita intelligenda est; Ergò duo mures, quorum unus univocè, alter equivocè generatur, eodem modo se habent in produci, intellige suo interno & ob- jectivo. Sive enim ab univoco agente, sive ab equivoco producantur mu- res, non aliter producantur, quantum ad producibilitatem suam, quàm eorum natura permittit.*

XXIII. Fingendum aliquid, & deludenda juvenus. Limita- tio illa quorsum spectat? Forfan ad Conclusionem. In accuratâ enim suâ scholâ ita procedit. At transeat. Propositionem vult li- mitare: *Ut se res habet in esse, ita in produci interno & objetivo. Distinctionis inter Produci Internum & Externum fundamentum si*

359. peterem, qui me informaret? Habentne mures aliquod produci  
internum & aliquod produci externum? Canes aliquod produci  
internum, aliquod produci externum? Mus qui primùm creaba-  
tur, & is qui pòst generabatur, habebantne idem produci inter-  
num? Nam eodem modo se habebant in esse: ergò & eodem mo-  
do in produci, interno illo & objectivo. Cœlum & terra habe-  
bantne diversum produci internum? Sicut diversum habent ef-  
se. Canis creatus & generatus eodem modo se habent in esse.  
Ergone eodem modo in produci? Eodem inquit, interno & obje-  
ctivo. Puto angustias hominem facere audacem. Sed ait: non a-  
liter producuntur, quam eorum natura permittit. At habentne eo-  
rum natura ejusmodi certum producendi modum? Res non con-  
fundenda cum modo. Res eadem est, in mure creato & generato,  
univocè & æquivocè (si est) generato. At eundem productionis  
modum, nemo probare, nemo concipere poterit. Finge eundem  
modum, cum per creationem mus è terrâ producitur, cum per u-  
nivocam generationem ex femine fit, cum per æquivocam è  
quisquilijs. Res eadem est, producendi modus neutiquam  
idem.

*Ib. sq. sq.*

XXIV. Convertit se ad non-esse, è quo communiter dicunt  
feri res naturales. Pergit enim in thesibus: *Duo productionis ter-  
mini sunt, à quo & ad quem. Terminus à quo τὸ non esse, terminus ad  
quem τὸ esse venit. Non ens vel negativum, vel privativum est; illud  
simpliciter negat; hoc ponit aliquid, nimirum subjectum habile ad eam  
formam que abest, vel abesse dicitur recipiendam. Privatio non tollit,  
vel negat subjectum cum forma, sed tantum formam in subjecto habili, &  
eo ipso subjectum presupponit, ut natura sua aptum ad formam recipi-  
endam. Hinc privatio desinitur absentia formæ in subjecto ad eam ha-  
bendam naturalem aptitudinem habente. Productio que nullum sub-  
jectum presupponit, citra omnem dubitationem est creatio, & quidem  
propriè & strictè dicta. Que verò subjectum habet, & quidem habile,  
fistit generationem physicam, quæ fit ex materiâ & subjecto disposito &  
per dispositiones ad formam recipiendam idoneo reddito. Omne quod  
producitur, aut producitur ex aliquo subjecto sive materiâ, aut nō produ-  
citur ex aliquâ materiâ sive presupposito subjecto. Omne quod produci-  
tur, & tamen non producitur ex aliquo præexistente subjecto, illud propriè  
creatur.*

creatur. Quicquid naturaliter generatur, ex habili & disposita materia  
producitur, adeoq; quicquid generans naturale producit, ex habili mate-  
ria producit.

360.

XXV. Sæpè hæc protulit, unde & sæpè discussa sunt. Iterum  
eogor repetere è multis pauca. Probari debebat privatio, & probatur  
primò negatio, secundò potentia ad recipiendam formam. Sed plura ad  
privationem requiruntur, quàm absentia formæ: plura, quàm potentia  
ad recipiendam formam. Unde formæ sint, quaritur; an ex nihilo  
negativo, an ex nihilo privativo? Affirmat posterius, & probat, quia in  
materia non sunt, & à materia recipiuntur. Itane ex privatione fiunt  
formæ, quia à materia recipiuntur? Hoc non est decipere Lectorem, &  
perpetuò clamare, ex materia fieri formas, ex privatione fieri formas, ex  
materia potentiâ fieri formas: ubi verò explicanda res, statuere, in ma-  
teria formas non esse, à materia autem eas recipi posse. Argumentor:  
Quicumq; pro subjecto ex quo substituit subjectum in quo, is & malè agit,  
& privationem destruit. Adversarij pro subjecto ex quo substituit subjectum  
in quo. Ergò Adversarius & malè agit, & privationem destruit. Major clara,  
quia non quid pro quo offerendum; nec privatio sine materia ex qua, sine  
potentiâ ex qua, defendenda. Minor è dictis constat. Item. Quicumq;  
ex nihilo negativo fieri formas concedit is privationem destruit. Adversarij  
ex nihilo negativo fieri formas concedit. Ergò Adversarius privationem  
destruit. Major probatur, quia in doctrina de formarum origine hæc i-  
psa lis est, an ex nihilo negativo, an ex privativo fiant formæ? Minor  
probatur, quia dum definire & explicare privationem laborat, præter  
absentiam formæ & potentiam ad recipiendam eam, nihil habet. Non  
potest dare quicquam ex quo fiant formæ: dat tantum aliquid in quo fi-  
ant. Itane privatio, itane Eductio formarum è potentia materia asse-  
renda, ut nihil habeas præter subjectum in quo fiat formæ? Hæret,  
hæret.

Dis. de Tr.  
Cap. 8. p. 95

XXVI. Porro: Quanam est illa materia, ex qua fieri putat for-  
mam, cum ex nihilo nihil fiat? Nominet eam, & Phyllida solus habebit.  
Antè dicebat, in materia esse potentiam ad formam recipiendam. Estne  
hæc materia ex qua? Suntne unum & idem, ex materia fieri & à ma-  
teria recipi? Idemne sunt, materia in qua & materia ex qua? Post:  
Videat Lector, an possit Adversarius dare materiam generationis. Nihil  
habet præter subjectum in quo: ex quo autem fiat materia monstrare, ne-  
sudet quidem.

p. 103.

Argumentor: Quicquid ex nullâ præexistente ma-  
teria

B 3

teria

teriâ fit, ex nihilo fit. Forma ex nullâ præexistente materiâ fit. Ergo forma ex nihilo fit.

p. 105.

XXVII. De creatione verò quæ subinferre laborat, etiam refutata sunt. Dicit Scaligerum creationem per constitutionem substantiæ ex nihilo definire. Novimus hoc, sed & illud novimus, humanam auctoritatem contra rationem esse tenuem. Ratio fuit dicta. Et illud novimus, datam descriptionem non modò à Toletò, Pererio, Suarezio, sed & Thummio ac Dannhawero de compositis explicari. Item. Repeto argumentum: Quicquid ex nihilo negativo producitur, creatur. Forma materialis ex nihilo negativo producitur. Ergo creatur. Majorem dat ipse. Minorem dat, dum privationi præter absentiam formæ & potentiam ad recipiendam eam, nihil concedit. Forma ergò quæ à materiâ recipitur, unde nisi ex nihilo negativo? Non enim fit ex substantiâ materiæ, non fit ex accidentibus materiæ: sed fit tantum in materiâ, quæ hanc habet potestatem, ut recipiat eam. Tacet ad hæc magnarum multarumq; rerum promissor.

Disp. de Trad.

XXVIII. Aliquid invenit, quod Thummio & Dannhawero reponendum duxit. Ita Thummus: Quodcunq; nullam præexistentem materiam habet, illud creatur. At accidentia spiritualia, habitus scilicet animæ rationalis, nullam præexistentem materiam habent, ergò creantur. Absona conclusio; ergò una ex præmissis; non Minor, quæ recepta, ergò Major: quæ erat, omne id statim creari, quod ex præsuppositâ materiâ non generatur. Ita Dannhawerus: Omnis constitutio rei ex nihilo, per te est creatio. Assumo, atqui productio specierum intelligibilium est constitutio rei ex nihilo. Ergò illa constitutio per te est creatio, & per consequens homo est creator: absone! Probo Minorem, nam non est ex materiâ, alioquin non essent entia spiritualia, reciperetur intellectio individualiter ac situaliter, scilicet hîc ita, ut non alibi. Dices ex phantasmatis produci: concedo, ut ex causâ exemplari, non ut ex causâ materiali, sicut τὸ Ex accipitur I. 7. Metaph. c. 7. t. 23. Alia instantia: Omnis forma materialis producitur ex nihilo, quia non ex materia, neq; enim materia ingreditur essentiam formæ. Hæc ille.

Col. Pseych.  
Disp. 6.

XXIX. De Autoribus his Adversarius dicit, quod accuratiores Scholas non sequantur, sed illas deserant, & novi aliquid moliantur. Hoc est. Qui contra rationem tueri communia dogmata nolunt,

nolunt, accuratas scholas non sequuntur. Qui discere, quàm didicisse malunt, novi aliquid moliuntur. Novas res si neglexissent antiqui, quas nunc haberemus veteres? Non de novitate aut antiquitate, sed de veritate lis est. Veritatem ergò quomodo impugnet, videndum. Dicit: *Resp. (1) in genere, sermonem esse vel maxime de substantiis, earumq; ortu, sicut th. 55 indigitavimus, ut h. m. principium nostrum sit accipiendum: quaecunq; substantia producitur ita, ut non producat ex aliquo presupposito subjecto sive materia, illa ex nihilo producitur.* th. 62.

XXX. Nulla est responsio. Ita habet Major in Syllogismo Thummij: *Quodcunq; nullam praesistentem materiam habet, illud creatur.* Loquiturne hæc Major de substantiâ tantùm? Quodcunq; bonum est, essentiam habet. Et, quodcunq; essentiam habet, bonum est. Malene hæc subsumuntur accidentia? Puto sub Majore universali esse subsumenda omnia particularia. In Dannhavveri Syllogismo Major sic est: *Omnis constitutio rei ex nihilo, per te est creatio.* Estne hæc Major particularis, non de omnente sed de aliquo? Nonne ipsa quoq; accidentia res sunt? Subsumenda ergò sub universali Majore. Et utraq; Major ex usitata istâ descriptione, quam Adversarius approbat, desumpta est: *Creatio est rei ex nihilo constitutio.* Unde aliàs dicunt, naturam in nihilum non posse agere. Si hoc: ergò nec accidentia, nec substantiæ ex nihilo fiunt. Et detur ratio, cur quædam ex nihilo fieri possint, quædam nequeant? Cur natura in quibusdam agere possit in nihilum, in quibusdam nequeat? Cur accidentia ratione essentia immaterialia è nihilo fieri possint, & formæ ratione essentia etiam immateriales è nihilo fieri nequeant? Nec refert, sermonem nunc esse de substantiis quàm maxime. Esto. Verba tamen descriptionis generalia sunt, & de Re, non de substantia loquuntur. Effata etiam generalia sunt: In nihilum natura non potest agere: ex nihilo non potest aliquid fieri: quicquid fit, ex aliquo fit.

XXXI. Deinde, nulla prorsus est Adversarij explicatio. Principium nostrum inquit, ita est accipiendum: *quaecunq; substantia producitur ita, ut non producat ex aliquo presupposito subjecto sive materia, illa ex nihilo producitur.* Quid hoc ad rem? Negatne id Thum.

Thūmīus, aut Dannhavverus, aut alij? Et nō ē etiā de accidente id verū? Quodcunq; accidens producitur ita ut nō producat ex aliquo præsupposito subjecto sive materiā, illud ex nihilo producitur. Ergo vestrum principium non tantū de substantiā est accipiendum, sed etiam de accidente. Hoc erit vestrum principium. Quæcunq; substantia producitur ita, ut non producat ex aliquo præsupposito subjecto sive materiā, illa ex nihilo producitur. Hoc etiam erit vestrum principium. Quodcunq; accidens producitur ita, ut non producat ex aliquo præsupposito subjecto sive materiā, illud ex nihilo producitur. Quid ergo ad rem hæc explicatio? Sed hæ sunt illæ accuratæ Scholæ.

eb. 63.

XXXII. Pergit. *Resp. (2) in specie ad 1. objectionem, negando sub-  
suntionem. Nec enim habitus mentis oram carent materiā. Licet enim non habeant materiam ex quā componantur, cum in suo esse nullam materiam, ut essentialiter constituentem, involvant, habent tamen materiam ex quā educuntur.* Pulcherrima hæc est petitio principij. Probanda orat materia ex quā de habitibus mentis. Probat, quia habent materiam è quā educuntur. Hoc forsan Syllogismo: Quicquid habet materiam ex quā, illud habet materiam ex quā. Habitus mentis habent materiam ex quā. Ergo habitus mentis habent materiam ex qua. Pudet me nugarum. Contrarium aliās probatum hoc argumento: Nullum ens immateriale è materiā educitur. Habitus mentis sunt entia immaterialia. Ergo habitus mentis è materiā non educuntur. Major fundatur in illorum Descriptionibus: Formæ materiales sunt, quæ è potentiā materiæ educuntur. Immateriales, quæ è potentiā materiæ non educuntur. Minor concessa.

XXXIII. Pergit. *Magna est latitudo materia, nec ea solum in substantiis, verum quoq; suo modo in accidentibus locum invenit, ut Scholæ Metaphysicæ docent.* Diverticula quærit. Scholæ istæ tribuunt materiam accidentibus per analogiam. Sed materia hæc materia in quā est, non ex quā. Citat D. Jacobum Martini, sed ex hoc ipso convincitur. Ita Senior noster: *Materia sumitur vel Latissime, vel strictius, vel strictissime. Latissime sumitur pro omni eo quod potestatem includit, & ab alio aliquo modo perfici & determinari debet. Ita genus dicitur materia, quia determinatur*

Part. Meta-  
ph. f. 8. p. 232.  
& 233.

natur



natur per differentiam specificam. Sic in subiecto alicujus discipline datur materiale &c. Strictius per analogiam etiam accidentibus tribuitur: Sic subiectum appellamus materiam in qua: objectum discipline materiam circa quam. Strictissime pro materia substantiali, & rerum essentialium principium est. De qua materia nunc sermo? An de materia circa quam? Aut de materia in qua? Dicere id, incogitantiae foret. Hac ergo Adversarij erit ratio. Accidentia habent materiam ex qua, quia Metaphysici dicunt ea per analogiam habere materiam, idque explicant de materia in qua, & de materia circa quam. Optima est probatio, in pessima distinctissimarum materiarum confusione fundata.

XXXIV. Pergit. Non solum est unus modus essendi ex materia, ut illi falso opinantur, & nihil ultra vulgus sapiunt, sed plures. Magnus vir quem sapientia inflat, probavit de accidentibus materiam ex qua, quia habent materiam in qua, quia etiam quaedam eorum habent materiam circa quam. Ita sapit ultra vulgus, nempe Thummium, Dannhavverum, Sennertum & alios. Pergit. Non, inquam, solummodo res ex materia componuntur, sed etiam quaedam, puta formae substantiales ( materiales ) quam accidentales ex materia educuntur, illae quidem ex potentia materiae physicae & proprie dictae, haec vero ex potentia subiecti, quod causae materialis loco est in accidentibus. Vir qui ultra vulgus sapit, probat Educationem per Educationem. Formae educuntur ex materia, quia educuntur ex materia. Deinde, iterum materiam in qua, pro materia ex qua offert. Egregia ratio est: habitus mentis habent materiam ex qua, quia in subiecto sunt, quod causae materialis loco est. O magnam hominis sapientiam, qua solus ultra vulgus sapit!

XXXV. Pergit. Non est necessarium, ut id quod ex materia & subiecto aliquo educitur, ex materia quoque, constituatur, illamque partem essentialiter constituentem agnoscat; est siquidem educitio simplicis formae, constitutio vero ex materia totius compositi. Primo nondum data nobis materia ex qua, quae petebatur, quae promittebatur. Non ex nihilo, sed ex aliquo dicebat, fiunt habitus mentis. Hoc nondum probatum est, nondum aliquid datum ex quo fiunt. Subiectum cui insunt, non est materia ex qua, sed materi in qua. At  
 C  
 hac

hæc non petitur. Deinde, sanè aliud est principium generationis, aliud constitutionis. At illud ipsum generationis principium, est nè tantùm terminus à quo? Abjiciturnè aut perit cum ex eo aliquid fit? Hæc non est materia generationis, non est materia productionis, quæ cum aliquid generandum aut producendum, tantùm termini à quo rationem habet. Ex semine cum fiunt ossa, materiale manet atq; essentiam ossium ingreditur. E sanguine cum generantur partes sanguineæ, manet materiale & fit pars essentialis. Non secus, ac cum ex cœmento, luto, ac lapidibus formatur domus, aut cum ex farinâ fiunt panes. Tollitur itaque omninò formæ simplicitas, si ex materiâ, quæ nec aboletur, nec in ipsam transmutatur, ea oritur.

XXXVI. Pergit. *Nunc patet subsumptionis negatio. Quia enim (1) comparari habitus citra animi, tanquam subjecti, concursum nequeunt, & (2) in rerum naturâ permanere & in esse conservari non possunt, ab animâ si separentur, sequitur ipsos ab animâ, tanquam à subjecto, in esse & fieri dependere, adeoq; tam quo ad esse habere materiam in quâ seu receptionis & sustentationis, quam quo ad fieri (suo sibi conveniente modo) educi ex materiâ, habereq; subjectum educationis, quod est ipsa anima, in quâ tanquam in genuino suo subjecto insunt, & quando producuntur dependenter ab eâ producuntur, cum produci & fieri rei sequantur ejus esse. Sunt ἀδολεξίαι. Videmus in quo solo fluctuet. Ridetur chordâ qui semper oberrat eâdem. Non fiunt ex nihilo, inquit, habitus mentis, quia fiunt & sunt in animâ. Fieri in animâ est fieri ex animâ, & esse in animâ esse ex animâ. O nugamenta! Ita nempe supra vulgus sapit.*

XXXVII. Formare audeat argumentum: *Quicquid producitur dependenter à subjecto habili & conveniente, in quo omne & totum esse suum habet; illud non ex nullâ materiâ producitur. Atqui habitus mentis producuntur dependenter à mente sive animo ut subjecto habili & conveniente. Ergò. Probetur Major. Loquitur enim ea de causa efficiente & subjecto inhætionis. Probetur ergò hæc propositio: Quicquid habet causam efficientem & subjectum inhætionis, illud ex materiâ producitur. Hæc perpetua ista confusio materiæ in qua, cum materiâ ex quâ. Fiunt sanè formæ accidentales in subjecto.*

jecto. Ergone ex subjecto? Fit in animâ sapientia. Ergone ex animâ? Ex animæ substantia? Fit calor in igne. Ergone ex ignis substantia? Ita judicat, qui supra vulgus sapit. Repeto quæ aliàs ad formarum substantialium Educationem dicta sunt: *Quid dependere à materiâ in fieri potat? Si id, fieri in materiâ; manet questio, unde forme? An ex aliquo, an ex nihilo? Si nistud, fieri ex materiâ; manet questio, an ex materie substantiâ, an ex accidentibus? Neutrum sine absurditate dicitur. Ita confirmamur, Educationis explanationem non satisfacere origini; probationem solidiorem non esse explanationem.*

306.

Exerc. de  
Ed. th. 12.

XXXVIII. Pergit, me contra doctrinam hanc philosophicam, tale proposuisse argumentum: *Quicquid præter materiam in quâ, habet etiam materiam ex quâ, id materiale est, non spiritale. Habitus mentis præter materiam in quâ habent etiam materiam ex quâ. Ergo habitus mentis materiales sunt; adeoq; materiale intrabit intellectum.* Non contra doctrinam philosophicam, sed contra vestram phantasiâ protuli argumentum. Omnia philosophica sunt, quæ à vobis finguntur, licet phreneticorum delirijs simillima sint. Sed videnda, quæ reponit. *Resp confunditur materia physica, vel generationis & compositionis physica, cum materiâ in quâ accidentis, quæ est materia in suo genere, sicut ex §. 63. patet.* Confunditurne in Syllogismo materia Physica, cum materiâ in quâ? Quæso, ubi fit illa confusio? An in Majore, an in Minore, an forsan in conclusione? Distinctio fit materiæ in quâ & materiæ ex quâ in Majore, ut vestra confusio pateat, aperta q; exponatur luci. Dico: *Quicquid præter materiam in quâ, habet etiam materiam ex quâ, id materiale est, non spiritale.* Quid hic confunditur cum materiâ in quâ? Contradistinctio fit, ut cernunt oculati, non confusio. Patere confusionem ait, ex §. 63. Id ibi patet, quod th. 32. 33. 34. contra frivolas illas responsiones adductum est.

th. 63.

XXXIX. Pergit. *Limitatur igitur Major 1. quicquid præter materiam in quâ physicam (physicæ receptionis & sustentationis formæ substantialis) habet quoq; materiam educationis propriè dictam in propriè dicta generatione, illud est materiale physicè & propriè.* Limitatio plena vanitatum est. Primò petit principium, educationem mihi ob-

C 2

truden-

trudendo. Secundò, fingit materiam ex quâ propriam & impro-  
priam. Hanc pro accidentibus, illam pro substantijs. Tertiò, ni-  
hil unquam præter subjectum inhætionis, quod non ad ma-  
teriam ex quâ, sed ad materiam in quâ referendum, de acciden-  
tibus probabit. Quartò, fiuntne ex substantiâ accidentia? Fitne sa-  
pientia ex animâ, calor ex igne? Summa hæc est. Controvertitur,  
an habitus mentis ex aliquo, an ex nihilo fiant. Affirmavit prius.  
Nos posterius. Oppugnauimus prius, fore illos habitus mate-  
riales, cùm materia ex quâ formam denominet materialem. Di-  
cit, de materiâ ex qua propriè sumtâ id intelligendum, non de ma-  
teria ex quâ impropiè dictâ. Tandem omnia erūt materia ex qua,  
omnia dicentur educi è materiâ. Sub hoc schemate, quòd nūc pro-  
priè, nūc impropiè; nunc latè, nūc strictè; nunc malè, nūc benè lo-  
quantur. Anima est materia ex quâ habituum mentis: scilicet im-  
propiè, & latè. Rectius, malè & falsò. Spes, fides, & charitas, e-  
ducuntur è potentiâ materiæ: impropiè & latè loquendo. Re-  
ctius, malè loquendo, malè disputando, omnia confundendo ac  
pervertendo. Entia simplicia sunt habitus illi, nihil admisceri  
patiuntur, tantùm subjectum in quo sint requirunt. Misce essen-  
tjjs istis aliquid de subjecto aut de materiâ ex quâ, & peribit sim-  
plicitas.

XL. Pergit: 2. *Quicquid præter materiam in qua sui generis ha-  
bet etiam materiam ex qua sui generis, illud in suo genere & certo modo  
est materiale; juxta hanc explicationem admitto totum argumentum,  
nec video quid incommodi illatio habeat. Nec tùm sequitur, habitus a-  
nimi non esse spirituales, ut is loquitur, vel verè mentales. Potest siqui-  
dem aliquid esse spiritale, & tamen certo modo materiale, eo nimirum,  
quo non à materiâ physicâ & propriè dictâ, sed à materiâ sui generis, ni-  
mirum à subjecto, cui inest, in esse & conservari dependet; quo modo de-  
pendent habitus intellectus, quorum esse in ipso intellectu ut subjecto quasi  
radicatur. Ejusdem farinae hæc cum prioribus sunt. Sunt mate-  
riales, sunt immateriales habitus: educuntur, & non educuntur:  
è potentiâ, è non potentiâ. Hoc est explicare rem & enodare. Edu-  
ctio ad materiam ex quâ refertur. Hæc quid ad habitus mentis?  
Impropiè, ait. Ergò propriè loquendo non educuntur è materiâ  
non fiunt ex aliquo. Tutior ergò nostra negatio, in proprietate  
fundata.*

fundata. Deinde, neque impropriè materia ex quâ habitibus convenit. Intellectus enim subjectum inhæſionis est: At subjectum inhæſionis ad materiam in quâ, non ad materiam ex quâ, refertur. Inverto igitur argumentum: Quicquid præter materiam in quâ sui generis, nullam prorsus habet materiam ex quâ, illud in nullo genere & nullo modo est materiale. Habitus mentis præter materiam in quâ sui generis, nullam prorsus habent materiam ex quâ. Ergò habitus mentis in nullo genere & nullo modo sunt materiales. Major in Adversarij hypothese fundata. Minor probatur, quia præter intellectum, præter animam, quæ materia in quâ, quæ subjectum inhæſionis est, non potest dari ulla materia ex quâ.

XLI. Convertit se ad secundum argumentum, ubi dicebatur, *th. 66.* species intelligibiles ex nihilo esse. Inquit: *Resp. ad II. negando Minorem propositionem. Omnino siquidem species intelligibiles pendent ab intellectu subjectivè, seu in ratione causæ materialis, hoc argumento probatur: Cuicumq; productioni substernitur aliquid, unde res producta in esse & fieri pendent subjectivè, ea productio non fit ex nihilo. Atqui productioni speciei intelligibilis substernitur aliquid, unde ipsa in esse & fieri subjectivè pendeat. Ergò productio speciei intelligibilis non fit ex nihilo. Minor constat, siquidem causæ materialis vicem hîc gerit ipse intellectus, ex cujus potestate species intelligibiles spiritali modo educuntur.* Profectò & pudet & pænitet me laboris. De speciebus intelligibilibus probanda est materia ex quâ. Probat, quia pendent ab intellectu subjectivè seu in ratione causæ materialis. Quomodo? Substernitur istis intellectus, quippè in quo fiunt, & in quo sunt. Hinc pulchra illa Major: Cuicumq; productioni substernitur aliquid, unde res producta in esse & fieri subjectivè pendeat, ea productio non fit ex nihilo. Credendum hoc, contra rationem, contra materiæ in quâ & ex quâ distinctionem. Sed ex potestate intellectus, ait, species intelligibiles spiritali modo educuntur. Etiam hoc credendum, quanquam res ipsa aliud requirat. Facit intellectus agens species intelligibiles, quas intellectus patiens recipit. Dicas è quâ materiâ, sive propriè, sive impropriè; sive latè, sive strictè sumtâ. Forsan ex seipso intellectus facit speciem intelligibilem, imaginem ex re, & quidem materialiter.

XLII. Pergit ad Dannhaueri verba. Probationem Minoris in objectione quod attinet, ea nulla est. Nec enim species intelligibiles dicuntur entia spiritualia, quæ sint substantiæ materiæ expertes, corpori seu substantiæ corporeæ oppositæ, sed longè aliâ ratione, uti ex doctrinâ de animâ notum est. Nulla responsio est. Repeto probationem Dannhaveri. Probo, inquit, Minorem, nam non est ex materiâ, alioquin non essent entia spiritualia, reciperetur intellectio individualiter ac situatiter, scilicet hîc ita, ut non alibi. Reponit, ad hæc Adversarius, species intelligibiles non dici entia spiritualia, quæ sint substantiæ materiæ expertes, sed longè aliâ ratione. Quid hoc ad rem? Ergone quia species intelligibiles non sunt substantiæ, propterea probatio Dannhaveri est nulla? In accuratâ scholâ hunc accuratum disputandi modum didicit, quem pauci capiunt. Non ex ratione substantiæ, sed ex ratione spiritualium entium disputat Dannhaverus, hoc pacto: Quibuscunq; nulla materia ex quâ competit, ea ex nihilo sunt. Speciebus intelligibilibus nulla materia ex qua competit. Ergo species intelligibiles ex nihilo sunt. Minor probatur, quia si habent materiam, & quidem propriè dictam, non sunt entia spiritualia, recipitur intellectio situatiter, scilicet hîc ita, ut non alibi. Si habent impropriè dictam materiam ex qua, illa vel maximè phantasmata sunt. At producuntur species intelligibiles ex phantasmatibus, non ut ex causâ materiali, sed ut ex causâ exemplari. Quid ad hæc istæ Adversarij nugæ?

ib. 69.

XLIII. Actis his, autoritatibus se munit, atq; inde duos necit Syllogismos. Primus est: *Quicquid ita est & fit in aliquo, ut extra illud esse & fieri non possit, id fit dependenter ab eo ut subjecto & materiâ suâ.* Atqui species intelligibiles ita sunt & fiunt in intellectu patiente, ut extra eum esse & fieri non possint. Ergo fiunt dependenter ab intellectu ut subjecto & materiâ suâ. Non ferit scopum Syllogismus. Probat materiam in quâ, probare debebat materiam ex qua. Ita nunquam obtinere potest, quod intendit. Secundus est: *Quicquid presupponit & agnoscit suæ originis subjectum & materiâ ex quâ illud non producitur ex nihilo; quia ex nihilo produci nullum subjectum admittit.* Atqui species intelligibiles presupponunt & agnoscunt suæ originis

ib. 70.

*virginis subjectum & materiam ex qua. Ergo species intelligibiles non  
 producuntur ex nihilo. Minor est Scaligeri. Verum falsa Minor est, &  
 nec Scaliger, nec alius quisquam probabit, species intelligibiles præ-  
 ter materiam in qua habere materiam ex qua. Conatum Adver-  
 sarij vidimus, vidimus etiam jactantias, sed defuit successus.  
 Modus, quo species intelligibiles fiunt, hic est. A qualitatibus  
 sensibilibus sparguntur species sensiles: hæ recipiuntur primùm à  
 sensibus externis, post ab internis: accedit intellectus agens, qui  
 speciem intelligibilem juxta illam sensibilem efformat: non tan-  
 quam ex materiâ, sed ut ex effigie, ideâ, atq; exemplari. Datur  
 ergo hic causa efficiens, datur subjectum in quo, non datur mate-  
 ria ex qua.*

XLIV At tertium argumentum Adversarius hæc reponit.  
*Resp. i. ignoratur ibi, quid sit forma materialis & immaterialis. Quasi  
 verò formæ materiales & immateriales salutentur ex eo, quòd ex mate-  
 ria constent, vel non constent. Discendum nunc Dannhawero ab ac-  
 curato homine, quid sit forma materialis. Sed uter formæ ma-  
 terialis naturam ignoret, videbimus. Dixit Adversarius contra  
 me, formas dici materiales, non ratione existentia, sed ratione es-  
 sentia. Argumentor hinc: Cuicumque anima canis, equi, aut  
 asini, ratione essentia materialis est, is ipse verè ignorat, quid sit  
 forma materialis: Adversario anima canis, equi, aut asini, ratione  
 essentia materialis est. Ergo Adversarius verè ignorat, quid sit  
 forma materialis. Major constat, quia sicut materia ratione es-  
 sentia informis est, ita forma ratione essentia immaterialis. Se-  
 cus formæ & materia rationem qui explicat, & hanc & illam  
 ignorat. Item. Cuicumque anima brutorum ratione essentia  
 materiales, & anima humana ratione essentia immateriales sunt,  
 illi formæ materiales & immateriales salutantur ex eo, quòd ex  
 materia constent, vel non constent. Adversario anima brutorum  
 ratione essentia immateriales, & anima humana ratione essentia  
 immateriales sunt. Ergo Adversario formæ materiales & imma-  
 teriales salutantur ex eo, quòd ex materiâ constent, vel non con-  
 stent. Major per se manifesta. Esse enim ratione essentia ma-  
 terialem aut immaterialem formam, quid aliud est, quam eam es-*

mate-

th. 71.

materia constare vel non constare? Celeb. Dannhavverus verò ex hypothese colligit. Si scilicet materia ex qua tribuitur formis, non tantum fient, sed & constabunt e materia. Id enim quod assumitur ad formæ generationem, non perit, sed manet. Constabit ergo forma ex materia.

XLV. Pergit. *Igitur 2. ad objectionem dico: Omnis forma materialis in naturali generatione producitur ex nihilo privativo, i. e. ex materia privationem formæ habente; concedo. Sic autem non sequitur, quæ infertur, conclusio. Si verò sic: omnis forma materialis in naturali generatione producitur ex nihilo negativo; negatur Minor. Implicat siquidem contradictionem, esse formam materiale & produci ex purè nihilo, i. e. ex nullo præsupposito subjecto sive materia. Primò petit principium, de nihilo privativo. Id enim controvertitur. Contrarium supra probatum. Secundò, frustra negat Minorem, de nihilo negativo. Nihil quicumque dare potuit, è quo formæ fiant: neq; dabit, rumpantur licet illa. Tertiò, probetur illa contradictio implicita. Si forma materialis ea est, quæ in materia fit, est, & operatur; unde contradictio per negationem materiæ ex qua? Oppositio terminos sumit eodem modo: at hic modus diversus. Quartò, vera si reor, id implicat contradictionem, formam ex materia fieri. Talis enim forma non est forma, sed compositum: non est principium, sed principiatum: non est ens simplex, sed compositum.*

XLVI. Pergit. *Quod 3. additam rationem attinet, quia forma non producat ex materia; negamus eam simpliciter; cuius contrarium satis patet ex hætenus dictis. Patet nempe ex hætenus dictis, Adversarium obtulisse allium pro cepis, materiam in qua pro materia ex qua. Pergit. Quando porrò probationis loco additur, quòd materia non ingrediatur essentiam formæ, quæ quæso consequentia: quæcunq; forma ita se habet, ut ejus essentiam (h. e. substantiam & entitatem, quæ à parte rei existit in rerum natura) non ingrediatur materia, illa forma ex materia non producitur. Atqui forma materialis est talis forma. Ergò. Resp. negando Majorem. Majoris ratio hæc est, quia materia ista è quæ produci dicitur forma non annihilatur. Ubi ergò erit? Nonne inerit isti formæ, quæ ex ipsâ producitur? Hinc*



Hinc illa Major: Cujus essentiam non ingreditur materia, id etiam ex materiâ non est productum. Est quidem discrimen inter materiam Generationis & Compositionis; sed non illud, ac si materia generationis in genito, neq; quoad formale, neq; quoad materiale maneret. Formale tollitur, materiale manet ac perficitur. Ex semine cum fiunt ossa, formale tollitur, materiale ossium essentiam ingreditur. Ex sanguine cum fit parenchyma, manet materiale, tollitur formale. Ita ex materiâ si fieret forma, omninò hujus essentiam illa ingrederetur. Non enim annihilatur, neq; substantialiter transmutatur. Et quid pugnat Adv. pro simplicitate formæ, cum ratione essentiæ, & non ratione existentiae, formas dici materiales opinetur?

XLVII. Pergit. *Pro cujus rei explicatione distinguendum inter actionem productivam simpliciter & generationem compositi naturalis. De hac procedit collectio, non de illa.* Detur ratio. Cur valet de composito, & non valet de formâ? Forsan hinc materia annihilatur, aut substantialiter transmutatur. O nugas! Ait; *Potesť siquidem aliquid ex materiâ produci, ut materia essentiam illius non ingrediatur.* Probetur hoc, non narretur. Ubi manet materia, si non ingreditur essentiam producti? Inquit: *Nec est de ratione rei materialis, ut quidem materialis est, & à re materiata distinguitur, ex materiâ ita produci, ut materia ingrediatur ejus, quod ex ipsâ producitur, essentiam; hoc enim ad rem materiata spectat, non ad essentiam materiale.* Omninò non est de ratione formæ materialis, includere essentiam materiæ. Includit autem eam, si ex materiâ fit. Materia enim nequit annihilari, nequit in formæ substantiam transmutari. Multò minùs cogitandum, formam ullam ratione essentiæ esse materiale. Hæc enim quâ materiam actuaret atque intimè permearet? Essentia formæ excludit materiam, sicut essentia materiæ ut sic excludit formam. Pulchram autem Adversarius committit contradictionem. Ait, formæ essentiam esse materiale, & materiam non ingredi essentiam formæ. Argumentor: *Quæcunq; essentia est materialis, eam ingreditur materia. Essentia animæ caninæ est materialis. Ergò essentiam animæ caninæ ingreditur materia. Aut: Quæcunq; essentiam non ingreditur materia*

D

materia

materia, ea etiam non est materialis. Essentiam animæ caninæ non ingreditur materia. Ergò essentia animæ caninæ non est materialis.

XLVIII. Pergit. *Nec etiam materia præcisè est causa, ex qua res producantur ita, ut ipsa earum essentiam physicè ingrediatur, seu ut res omnes quæ ex ipsa producantur, ex ipsa quoq; essentialiter constent, vel constare necessariò debeant. Sedita se res habet: Quicquid ex materiâ producitur ut quod, & ut terminus totalis atq; ultimus generationis, illud essentialiter ex ea constat; non verò id, quod ex materiâ producitur ut quo, estq; terminus formalis & incompletus generationis, ex materiâ constat. Latius certè se extendit materia ejusq; causalitas, quam ad hoc, ut sit principium constitutivum & pars essentialis rei materiatae. Multa esse materiæ munia, nemo negat. Sed ex materiâ formam fieri, nondum probatum. Et si fieret, componeret illam. Non enim annihilari, neq; substantialiter transmutari potest. Et detur ratio, cur tantùm in composito procedat propositio: Quicquid ex materiâ producitur, essentialiter ex eâ constat. Forfan in generatione compositi materia est immutabilis, in generatione formæ mutabilis. Absolum, ex materiâ aëris fieri formam aëris. Absolum, ita fieri formam aëris ex materiâ aëris, ut hæc non insit. Absolum, ratione essentiæ formam aëris materialem esse, & materiam non involvere.*

XLIX. Colophonis loco quærit primò, in quonam Creationis & Generationis pugnam ponam? Pugna est inter opposita. At strictè loquendo Creatio & Generatio opposita non sunt, licet diversa sint. Sit tamen: inveniet eam. Pensitet responsum ad quæstionem secundam. Quærit secundò, quid sit formam sive animam generatione produci, & quid sit eam creatione produci? Se sententiam suam satis clarè hæctenus exposuisse. Clarè admodum, ut nemo possit melius, nemo urbanus. Hoc pacto. Ex potentiâ Objectivâ fiunt formæ immateriales, ex potentiâ Subjectivâ materiales. Immateriales formæ cum non requirant materiam, non generantur, sed creantur. Materiales cum non ratione existentia, sed essentiæ tales sint, generantur. Tot falsa, quot verba. Creationis natura non est judicanda ex termino à quo. sicut nec  
cale.

calefactionis, nec frige factionis, nec ullius mutationis aut actionis. Idem judicandum de naturâ generationis. Abjicitur terminus à quo, & petitur terminus ad quem. Non ergò is essentiam, non is naturam aut mutationum aut actionum ingreditur. In creatione virtus infinita & independens: in generatione virtus finita & communicata, datur. In creatione non fit communicatio essentiaè similis: in generatione generans producit sibi simile. Cum pater generat filium, animam filij non creat. Ratio prima. Quia dependenter agit, & virtute sibi communicatâ. Dependet 1. à benedictione divinâ: Crescite & multiplicamini. 2. à causis universalibus: Sol & homo generant hominem. 3. à causâ sociâ: sine quâ frustra est. 4. à semine, sine quo nulla generatio. Ratio secunda. Quia producens & productum ejusdem naturæ & speciei sunt. Anima humana ab animâ humanâ.

L. Adjungit Adversarius ex liberalitate Coronides. Prima est. *Ut se res habet in esse, ita & in produci, scilicet interno & objectivo.* Satisfactum huic the. 23. Secundam sic proponit: *Quando datur generatio in animalibus?* 1. *Sperl. in Disputatione de Creatione formarum (mirabilis titulus!) tale proponit argumentum; Quotem-pore datur generatio activa, eodem etiam datur generatio passiva, seu forme productio. In congressu animalium datur generatio activa. Ergò in congressu animalium datur generatio passiva seu productio forme.* Mirabile caput mirabilem vocat titulum Disputationis, de Creatione formarum. Formas immateriales hodiè creari statuit, & mirabilem vocat titulum de creatione formarum. Formas materiales primitùs creatas esse concedit: formas omnes creari, putarunt olim non pauci; & mirabilis est titulus, de Creatione formarum. At quid insector stultas has pertinacias? Ad Syllogismum ipsum respondet, Minorem falsissimam esse. Supinum hoc est, & plumbei delirij. Forlan ante congressum generant canes, aut post congressum, quia non in congressu. Sic putabit homo, qui accuratam sexit philosophiam. Sed cavillari vult & verba mea, & sententiam. Hoc pacto. Sæpè fit congressus, ut nulla sequatur conceptio, nedum generatio. In congressu si fit

D 2

pro-

productio formæ: ergò & productio rei, quia ortus formarum est rerum ortus. Et semen ante conceptionem non est animatum, sed post conceptionem: ergò forma producitur in congressu animalium & non producitur in congressu animalium: in congressu animalium datur generatio, & in congressu animalium non datur generatio: Semen est animatum ante conjunctionem & permissionem: semen non est animatum ante conjunctionem & permissionem. Quàm mereantur legi ista, quemlibet facio judicem. VITUPERAT, QUÆ NON INTELLIGIT.

---

Ad

Præstantissimum Dn. Paulum Weierum,  
paternæ probitatis effigiem.

**D**ulce laudata Patris sequeris vestigia, grator:  
Dulce decus fias & Patris & Patriæ,  
Quæ sudor, rectiq; decor, meruere brabeæ  
Prensabis serò non peritura die.

JOHANNES Sperling  
PP. p. t. Dec.

---

**O**rtus naturam doctâ qui mente revolvis  
Qui quoq; propugnâs acriter in cathedrâ:  
Laudaris meritò, TIBI de felicibus ausis  
Gratatur PHOEBUS, MAGNUS & ipse PARENS.

*Jure ita intime familiaritatis AMICO  
CONTUBERNALIq; applaudebat*

Georgius Funccius  
Regiomontanus.